UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

I. An B. Petrus Romæ vixerit, Episcopusque sit ibidem mortuus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

Quocirca hoc in errore ſunt αὐτόγονοι hæreſiarchę; neque vſquam alicunde originem ducunt, niſi ex patre diabolo.

Nam ita doctiſſimus Serarius: *Lutherus Satanæ Diſcipulus eſt: Caluinus Lutheri: Ergo & Satanæ.*

Verum manet illud Chriſti oraculum: Mat. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus Petram eam.*

Voluerunt quidem Luthero-caluiniſtæ; ſed non valuerunt; minus præualere quibunt hac in re & impietate, primogeniti Satanæ.

Attentarunt tamen nefas iſtud; vt eo velut poſito fundamento, in Romanam ſedem Apoſtolicam furentius debacharentur. Et huius furoris autores habuerunt hæreſiarchas iam olim orbis adeo totius iudicio condemnatos.

I. DE PAPATV ROMANO.

QVÆSTIO I.

An B. Petrus Romæ vixerit Epiſcopusque ſit ibidem mortuus?

HÆRESIARCH. *Guilielmus*, Ioannis VVicleffi præceptor, teſte Tho. VVal. *l. 2. doct. fidei, a. 1. c. 7.* primus finxit Petrum nunquam vidiſſe Romam, minus ibi ſediſſe Epiſcopum, aut vitam obiiſſe. Is autem Guilielmus vixit ſub annum 1400.

LVTHERANI, vt *Vdal. Velenus* grandi volumine XVIII. perſuaſionibus id docere conatur; & nec Petrum, Paulumue Romæ, ſed Ieroſolymis occidione extinctos deſiiſſe. Sic & Illyricus *l. contra Primatum Papæ. &c.*

CALVINVS *Inſt. 4. c. 6. §. 15.* cum rem totam eſſe dubiã ſibi oſtendiſſe videbatur, ait, *Tamen propter Scriptorum conſenſum non pugno, quin illic mortuus fuerit; ſed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.*

Similia Magdeburgenſes *Cent. 1. l. 2. c. 10.*

PAPISTA. 1. Petrum prædicaſſe Romæ docet ipſe, 1. *Pet. vlt.* ex Babylone, ſc. Neroniana Chriſtianorum perſecutione ſcribens.

Item Paulina ad Romanos à ſolo Petro Chriſtianos factos teſtatur, quod multi fuerint ibidem ante, quam Paulus iſthuc adueniret.

2. Docet idem nouitius is error contrarius, ſub annum 1400. coortus: qui fatetur ipſe, omnium retrò conſenſum ætatum & ſcriptorum ſibi ſemper conſtitiſſe de Petri in Vrbe vrbium Papatu. Vide meum *Luthero-cal. p. 2. q. 8.*

QVÆSTIO II.

An Iure, & quo ſuccedat Petro Epiſcopus Romanus in Pontificatu?

I. HÆRESIARCH NILVS, Epiſcopus Theſſal. negauit primus Romanum Pontificẽ Petro ſuccedere in totius Eccleſiæ Regimine; ſed in Romano ſolum Epiſcopatu. Hic tamen poſtmodum ex Concilijs accepit Primatum inter, & ſuper Coepiſcopos cæteros.

LVTHERANI iuxta & CALVINIANI, cæteriq; hæretici omnes nuperi totum pernegant, ſc.

1. Quod Iure Diuino debeat Petro aliquis ſuccedere.

2. Quod ſucceſſor is ſolus Rom. Pontifex eſſe debeat; non alius.

Ita Lutherus, Illyr. Synodus Smalcald. Magdebur.

Caluinus Inſtit. 4. cap. 6. 7.

PAPISTA. De Succeſſione poſt Petrum Iure diuino debita vide meum *Antichriſtum p. 2. q. 4.* Et *Luthero-caluin. pa. 2. quæſt. 9.*

Solum